



HISTORIA
SUMMORUM PONTIFICUM
A MARTINO V.
AD INNOCENTIUM XI.
PER EORUM NUMISMATA.

AB ANNO M^{CC}CC^{XXVII} AD ANN M^{DC}.LXXVIII.
A^{RP}. CLAUDIO DU MOLINET *Canonico Regulari*
Congregationis Gallicanae.

LUTETIAE Apud LUDOVICUM BILLAINE Bibliopolam Parisiensem.
Cum Privilegio Regis Christianiss. M^{DC}.LXXIX.



SANCTISSIMO PATRI
INNOCENTIO XI.
SUMMO PONTIFICI.

F. CLAUDIUS DU MOLINET.



BEATISSIME PATER,

*Ex quo, Deo duce, militiae sacrae nomen dedi, &
voti compos, non modo in Apostolicum Ordinem Canoni-
corum Regularium, sed & in Apostolicam quoque Do-
mum Sanctae Genovefae Parisiensis admissus sum; mea-*

ã iy



PRÆFATIO.



VÆ & qualis fuerit mea scribendi ratio; quod institutum, te candide Lector, quamprimùm monitum velim. Me nec ineptè nec præposterè facturum facile sum arbitratus, si Bibliothecam, cujus ordinandæ provincia mihi nuper demandata fuerat, pro Abbatia sanctæ Geouvesæ Parisiensis dignitate, pro Domus amplitudine, & loci elegantia componendam, diligenter & considerate curarem. Sed ut id quod erat ordinate fieret, sapius cogitanti illud feliciter succurrit in mentem, cujus vir præstantissimus Naudæus in tractatu de struenda Bibliotheca inscripto probe meminerat, scilicet cuique libros qui in rem suam & usum conferant, imprimis esse comparandos. Ut igitur omnis in hoc à me haberetur ratio & assiduitas, illos maxime qui ad Historiam Ecclesiasticam & ad summos Pontifices spectabant, eò diligentius coëgi codices, quò id potissimùm Domui Apostolicæ Sangenovesæ pluris referre intelligebam.

Verùm ut omnibus suis numeris ac partibus Historiæ Pontificum Romanorum series apte texeretur, nihil æque ad rem mihi visum est futurum esse tum decori, tum adjumento, atque summorum Pontificum Numismata. Statim Romam literas scripsi ad nostratem R. P. Asselinum, virum literatum, & antiquitatis sedulum indagatorem, quibus eum etiam atque



MARTINUS V.

OTHO COLVMA,

Romanus,

Electus 20. Februarii M. CCCC. XVII.

*Averte mala inimicis meis, & in virtute tua
disperde illos.*

I.



EXHIBET Parmam gentilitiam illustris familie COLVMAE, à qua originem duxerat MARTINUS, Otho Columna ante Pontificatum appellatus. In ejus medio stat columna, unde gens illa suam denominationem sortita est. Hæc viros clarissimos æquè ac fortissimos protulit, ac imprimis Joannem illum S. Præxedis Cardinalem, qui cum in Palæstinam profectus esset, ibi multa pro tuenda fide perpessus est; ac demum Romam rediens anno circiter 1220. columnam ad quam

Christus à Judæis flagellatus est, secum attulit, eamque in Ecclesia sua S. Præxedis, ubi etiam nunc visitur, collocavit. In cujus rei memoriam familie ipsius columnam in scuto depingere concessum est. Corona verò quæ columnæ insidet, ideo apposita dicitur, quòd Stephanus Columna diadema Imperii capiti Ludovici Bavari Romæ quondam imposuerit.

II.

OPTIMO PONTIFICI.

TYPIUS est urbis Romæ insidentis clypeo, prout in antiquis numismatibus Cæsarum depingitur, nisi quòd Victoriolam non gestat, sed ejus loco bilancem sustinet, per quam insignis hujus Pontificis justitia declaratur. Nam ut


est apud Platinam: " Ex ore ejus nullum verbum tam crebrò quàm justitiæ no-
 " men prodibat. Ad suos conversus, maximè ad eos qui provincias & civitates
 " gubernabant: *Diligite justitiam qui judicatis terram.*" Apposita autem inscriptio,
 " OPTIMO PONTIFICI, denotat summam ejus humanitatem; qui titulus olim
 " Vespasiano, Trajano, Antonino, ex Imperatoribus Romanis præstantioribus de-
 " latus est. De singulari autem MARTINI mansuetudine ac humanitate ita nar-
 " rat idem author in ejus vita: " Cardinalis ab Innocentio VII. creatus, ob eam
 " rem à natura sua non discessit; humanior enim quàm antea factus, patrocinium
 " suum omnibus præstabat." De ejus autem obitu hæc dicit: " Sepelitur comitante
 " Populo Romano, comitante Clero, nec aliter flente, quàm si Ecclesia Dei, si
 " urbs Roma, unico atque OPTIMO PARENTE orbata esset."

III.

LABANTES VRBIS INSTAVRAVIT
ECCLESIAS.

Hic nummus in honorem Martini V. restitutus, novissimè vulgatus est: nam
 " reddita Ecclesiæ pace, ædificiorum sacrorum restauratiõni incubuit. Ab eo
 " enim, Ægidio Cardinali Viterbiensi teste, " Vaticana porticus extructa est, Late-
 " ranensis Basilica vermiculato opere strata, lignea testudine obtecta, sacris imagi-
 " nibus ornata: SS. Apostolorum ædes restaurata."

Obiit 20. Februarii 1431. anno ætatis 63. Pontificatus 14.



EUGENIUS IV.

5

IV.

QUEM CREANT ADORANT.


EUGENII Pontificis coronatio depingitur in hoc nummo, recenter quoque cum subsequenti edito & restituto: hic enim die 11. Martii 1431. ante fores Basilicæ Principis Apostolorum per Lucidum Comitem Diaconum Cardinalem suæ coronationis insignia suscepit.

V.

NICOLAI A TOLENTINO SANCTITATE
CELEBRIS.

DIE quinta Junii 1446. in festo Pentecostes beatum Nicolaum Tolentinum Ordinis Eremitarum S. Augustini, factis Sanctorum solemnii qua decebat pompa ascripsit.

Obiit 23. Februarii 1447. anno ætatis 64. Pontificatus 16.



II.

NE MVLTORVM SVBRVATVR SECVRITAS.

CUM pecunias undequaque providus Pontifex ad tantum bellum pararet, parvos sumptus in ædificiis fecit, ut ait Platina. Mœnia tamen urbis disrupta, & solo æquata propugnacula, ne pateret inimicorum incurſibus, reſtituit, **VT MVLTORVM**, nempe Romanorum, **SECVRITATI** (ſicut hîc legitur) conſuleret.

III.

ALPHONSVS BORGIA GLORIA HISPANIÆ.

EXHIBETUR ſcutum gentilitium familiæ Borgiæ, ex qua CALIXTUS duxerat originem, quæ taurum geſtat in ſtemmate. Clariffima eſt apud Hiſpanos in diœceſi Valentina. Claritatem tamen non gentis modò, ſed & totius regni Pontifex iſte, ex eo aſſumptus, ut univerſæ præſeſt Eccleſiæ, non mediocriter ampliavit; unde **GLORIA HISPANIÆ** rectè hîc prædicatur.

Obiit 2. Auguſti 1458. anno ætatis 80. Pontificatus 4.





PAVLVS II.

PETRVS BARBVVS,

Venetus,

Electus 31. Augusti M. CCCCLXIV.

deductus fuit. Cùm autem ad ipsum accessisset, genuflexus pedes osculatus est, quod ægrè admodum fecisse nonnulli scriptis tradiderunt. Sed nihilominus benedictione Apostolicâ donatum fuisse testatur, qui hunc nummum, in ejus facti memoriam nuper restituit. Nonnulli tamen ad hoc numisma referunt locum illum Ciaconii: « Benedixit Venetis, eosque absolvit ab interdicto quo astricti « erant à Sixto IV. »

III.

IVSTITIA, PAX, COPIA.

TRES illæ puellæ præcipuas hujus Pontificis exprimunt virtutes, quæ ex earum symbolis perspicuè dignoscuntur. Scilicet ex bilance **IVSTITIA**, ex ramo olivæ **PAX**, & ex cornu, **COPIA**, seu liberalitas. Quæ quidem **INNOCENTIO** optimè conveniunt, ut ex his Ciaconii verbis colligitur. « Bello Neapolitano confecto, ad pacis studia **INNOCENTIUS** Pontifex conversus, cives « aliquot Romanos, quorum capita erant Margarii & Santacrucii, armis feralibus dissidentes, item Ursinos & Columnenfes discordes, summâ diligentia « conciliavit. Cùmque nihil antiquius duceret quàm urbis quieti copiarumque studere, toto ejus Pontificatu, & annonæ maxima ubertas, & urbs à grassatoribus latrociniisque libera, quibus bello durante maximè obnoxia fuit, cùm « esset in judicandis criminibus inexorabilis. » Ritè ergo **IVSTITIÆ** ejus severitas, **PACIS** beneficium, & **COPIÆ** ubertas, hîc celebrantur.

Obiit 25. Julii 1492. anno ætatis 60. Pontificatus 8.



REGISTRUM.

Principium & Epistola, *ã duernio*, Præfatio, *ε, ι, δ, folia. A, B, C, D, E, F, G, H, I, K, L, duerniones. M, folium. N, duernio. O, folium. P, Q, duern. R, fol. S, T, V, duern. X, fol. Y, Z, duern. Aa, duern. cum dimid. B, fol. Cc, duern. Dd, Ee, duerniones cum dimidio folio. Ff, Gg, duerniones.*

LUTETIÆ PARISIORUM,
Typis ANDRÆE CRAMOISY, Typogr. Parisiensis.
Kal. Novemb. M. DC. LXXVIII.